



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Vita Marini Papae II. Qvi Perperam Martinvs II. Nominatvr.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

confirmavit testamento regiae auctoritatis, praecipiens vt pari consensu ad corroborationis auctoritatem idem nostra sanciret ecclesia. Quod iuxta desiderii ardorem exequens, vt dehinc sicut statuimus maneat, cum consensu ducis nostri Ottonis videlicet, totiusque ecclesiae nostrae, hoc praecipuum confirmationis scriptum manibus propriis roborauimus, & roborandum tam praedicto duci, quamque coepiscopis nostris, fidelibusque dedimus: in Domino, & propter Dominum, omnes successores nostros humiliter postulans, vt sicut diffiniuimus, vtque volunt sua quae diffinierint, rata habere consentiant nostra. Actum Metis publice, sub die Idus Martii, indictione xv. concurrente v. anno xliii. adeptionis episcopatus domni & venerabilis episcopi Adelberonis, hoc testamentum fuit coram cunctis in palatio recitatum, & ab omnibus voluntarie corroboratum.

NOTA IACOBI SIRMONDI  
SOCIETATIS IESV.

<sup>2</sup> *Adelberonis Metensis.*] Depromptum est ex tabulario sancti Arnulfi. Ottonis vero ducis Lothariensium, cui Otto rex ducatum hunc aliquanto post Gisleberti mortem dederat, meminit in gestis huiusce anni DCCCCXLII. Flodoardus. Erat enim more suo Sigebertus Gisleberti obitum differens in annum DCCCCXLIII.

V I T A

M A R I N I P A P Æ I I.

QVI PERPERAM MARTINVS II. NOMINATVR.

**M**ARINVS natione Romanus, post obitum Stephani factus est pontifex, anno Redemptoris nostri DCCCCXLIII. Hic est ille, qui ante viginti tres annos Vdalrico Romam venienti propheticè obitum Adelberonis praedecessoris sui reuelauit, eumque eidem successurum praedixit. In vita Vdalrici nominatur pontifex per anticipationem, qui post annos circiter viginti ab eo tempore sedem pontificiam vere occupauit. Pontificatum adeptus, omissis insanabilibus tumultibus bellicis, totum se tradidit ad componendam ecclesiam, tam in cleri,

Martinus pontifex quando electus, & qualis fuerit.

Res a Marino gesta.

ANNO  
CHRISTI  
943.

quam in monachorum reformatione, & in basilicarum restauratione, & pauperum cura. Literis vero egit, vt inter Christianos principes mutuo decertantes pax componeretur. Vnicum monumentum Marini, quo continetur priuilegium concessum sancti Vincentii monasterio super Vulturni fontes, extat apud Baronium anno 944.

Imago  
Christi ad  
Abagarum  
missa.

Huius temporibus, post Heribertum comitem defunctum, filio eius Hugoni Rhemenſi archiepiscopo Artaldus nouum faceſſit negotium. Imago Christi Redemptoris miraculo expreſſa, & ad Abagarum regem tranſmiſſa, tranſlata eſt Conſtantinopolim, dum Edeſſa a Romanis obſideretur, anno Redemptoris 946. inquit Flodoardus. Marinus papa deceſſit, cum, iuxta Vaticanos indices, annos tres, meſes ſex, & dies tredecim ſediſſet.

## CONSTITVTIONES \* ODONIS <sup>\* alias</sup> ODE

ARCHIEPISCOPI CANTVARIÆ, TEMPORE regis Edmundi lata, hoc eſt annum circiter Domini DCCCCXLIII. in quibus cauetur de officio regis, magiſtratum, & cleri, & de iuribus eccleſiæ rite confeſſendis.

### TITVLI CAPITVLORVM.

- |                                     |                                     |
|-------------------------------------|-------------------------------------|
| I. De immunitate eccleſiæ.          | VII. De prohibendis illicitis con-  |
| II. De ſecularium principum officio | nubiis.                             |
| & obedientia episcopis præſtanda.   | VIII. De concordia in eccleſiæ con- |
| III. De officio episcoporum.        | ſeruanda.                           |
| IV. De officio preſbyterorum.       | IX. De ieiuniis & eleemoſynis fa-   |
| V. De officio clericorum.           | ciendis.                            |
| VI. De officio monachorum.          | X. De decimis reddendis.            |

### P R Æ F A T I O.

**I**N nomine ſanctæ Trinitatis & vnica diuinitatis. Licet, nullis exiſtentibus meritis, monita piæ exhortationis auſu temerario quempiam docere præſumam, tamen quia certantibus, & videlicet laborantibus in ſtadio huius vitæ, ſpirituale brauium auctore donorum Spiritu promittitur, & paſtorum curæ populus Dei multiplicandus fide & numero caute conceditur; ideo ego Oda humilis & extremus, diuina largiente clementia, almi præſulis & pallii honore

nore ditatus: quædam documēta, omni Christicolæ, ni fallor, non indigna, quæ a præcedentibus illustrium virorum præceptis certissima comperi, ad consolationem domini mei regis, scilicet Edmundi, omnisque populi excellenti imperio eius subiecti, in ista chartula coadunare decreui. Vnde deuotissime obsecro, & clementissime hortor audientium mentes, vt si quando hæc recitanda audiant, interius videlicet in corde frequenti meditatione plantent: & multiplici bonæ operationis munere, ex eo fructum pacatissimum in tempore messis sibi colligant.

CAPVT I.

Primo capitulo præcipimus & mandamus, vt sancta Dei ecclesia, quæ sanguine Christi primum fundata est, & fidelium multitudine, sponsa dealbata, nullis ingredietur malorum interruptionibus. Nec alicui liceat censum ponere super ecclesiam Dei: quia filii ecclesiæ, id est filii Dei, ab omni censu terrestri liberi sunt in omni regno. Ambrosius ait: Ecclesia catholica libera est ab omni censu principis. In historia ecclesiæ: Si quæ domus agri, vel quælibet prædia a Christianis direpta sunt, siue sub fiscum regalem, siue in dona collata sunt, hæc omnia in antiquum ius Christianis præcipimus reuocari. Gregorius enim ait: Si quis ecclesiam Christi denudauerit, anathema sit, si non satisfactione emendauerit. Et iterum: Quisquis ecclesiæ Dei parochias violare vel vsurpare per rapinam tentaauerit, ab ecclesiæ ministris excommunicandus est, & omnimodo a corpore Christi alienus. Audent enim extra milites qui Christum crucifixerunt aliquid, qui ecclesiæ eius disciplinæ regulis obedire contemnunt: ecclesia enim habet potestatem ligandi atque soluendi.

II.

Secundo capitulo admonemus regem & principes, & omnes qui in potestate sunt, vt cum magna humilitate suis archiepiscopis, omnibusque aliis episcopis obediant: quia illis clauis regni cælorum data sunt, & habent potestatem ligandi atque soluendi: nec se magni pendant in sæculari potentia, quia Deus superbis resistit; humilibus dat gratiam: habeatque rex prudentes consiliarios, Deum timentes super regni negotia; vt populus bonis exemplis regis & principum eruditus proficiat in laudem & glo-

riam Dei. Neminem iniuste per potentiam opprimere: sine acceptione personarum inter virum & proximū suum iudicare: aduenis, pupillis, & viduis, protector esse: furtum prohibere: adulteria punire: iniquos non exaltare: pauperes eleemosynis alere: quia etsi omni homini necessarium est Christi custodire mandata, præcipue tamen regibus & omnibus in sublimitate positis; qui & pro seipfis etiam, & pro vniuersis sibi subiectis, in die districti examinis iusto iudici rationem sunt reddituri.

## III.

Tertio, admonendi sunt episcopi, quatenus cum omni honestate & modestia in sanctæ religionis pietate prædicent & ostendant exempla bona omnibus. Vt suas parochias omni anno cum omni vigilantia, prædicando verbum Dei, circumeant; ne aliquis per incuriam pastoris, per deuia cuiuslibet ignorantia errans, lupinis pateat moribus lacerandus. Ne quis turpis lucri gratia, sed spe mercedis æternæ, gregem sibi commissum pascere studeat: quod enim gratis excepimus, gratis impendere non differamus. Absque vlllo timore vel adulatione cum omni fiducia verbum veritatis prædicare, regi, principibus populi sui, omnibus dignitatibus, & nunquam veritatem subterfugere. Neminem iniuste damnare, neminem nisi iuste communicare, omnibus viam salutis demonstrare.

## IV.

Quarto capitulo, admonemus presbyteros vt populum Dei bonis exemplis habitu sancto doceant, & doctrina sancta erudiant & informant. Vt illorum conuersatio in omni bonitate & modestia moribus populi excellentior sit: quatenus qui eum viderit secundum presbyteratus sui dignitatem vestitum incedentem, bene & laudabiliter enuntiat habitus eius.

## V.

Quinto capitulo admonendi sunt clerici, vt canonicè cum omni honestate & reuerentia iuxta sanctorum patrum decreta viuant: præbentes bona omnibus exempla, quatenus in eorum bona conuersatione laudetur episcopus, honoretur ecclesia, populus proficiat in laudem Dei, & illi secundum nominis sui dignitatem, digni in Dei hereditatem venire efficiantur.

VI.

Sexto capitulo hortamur monachos, & omnes qui votum Deo vouerunt, vt in omni humilitate & obedientia die noctuque hoc adimplere studeant, permanentes in timore Dei in ecclesiis vbi se voto constrinxerunt. Non sint vagabundi, neque gyrouagi, qui nomen monachi desiderant, officium autem eius contemnunt: sed secundum exempla apostolorum, per habitum humilitatis, laboribus manuum, & lectione sacra, & continuis orationibus se exercentes: parati, præcinctis lumbis, ardentibusque lucernis, patrem familias expectent, vt veniens eos faciat in æterna requie sine fine permanere.

VII.

Septimo capitulo prohibemus & interdicimus omnibus Christianis iniusta connubia, & incestuosa, cum monialibus, vel cognatis, vel cum aliis illicitis personis. Sanctæ enim recordationis Gregorius papa, cum pluribus episcopis, seu sacerdotibus ceteris, in basilica beati Petri apostoli constituit: Si quis monacham, quam Dei ancillam appellant, in coniugio duxerit, anathema sit. Et responderunt omnes: Amen. Nos quippe eandem apostolicam auctoritatem sequentes, simili modo iaculum maledictionis talibus imponamus, nisi correptus a tam nefanda præsumptione ad satisfactionem peruenerit.

VIII.

Octauo capitulo obseruamus, vt quando in aliquo conuentu venerimus, tota intentione consideremus quid Psalmista nos admonet, dicens: *Dominus prospicit super filios* psal. 52. *hominum:* & reliqua. Et iterum: *Dominus dissipat consilia* psal. 33. *gentium:* & reliqua vsque *in hereditatem sibi.* Ideo præuidendū est, fratres, vt sit concordia & vnanimitas inter episcopos & principes omnemque populum Christianum, vt sit vnitas vbique ecclesiarum Dei, & pax: imo vna sit ecclesia, fide, spe & caritate, vnum habens caput, quod est Christus: cuius membra se inuicem adiuuare mutuaque caritate diligere debent, vt ipse ait: *In hoc cognoscant omnes:* & reliqua. Ioan. 14.

IX.

Nono capitulo admonemus ieiunium cum eleemosynis caute & vigilanter conseruare: istæ enim sunt tres alæ quæ ducunt sanctos ad cælum. Quatenus quadragesimale

*Concil. Tom. 25.*

H ij

ieiunium, quatuor tempora, & alia legitima ieiunia. Videlicet i v. feriam & vi. feriam, cum magna vigilantia obseruare studeatis : & super omnia dominicum diem, & sanctorum festiuitates, sicuti Canon & exempla precedentium affirmant, ab omni sæculari opere cautissime custodire procuretis, nec superstitionibus vanis consensum præbeatis : neque creaturam pro creatore magicis illusionibus adorabitis : quia qui talia agunt regnum Dei non possidebunt.

## X.

Decimo capitulo mandamus, & fideliter obsecramus, de decimis dandis, sicut in lege scriptum est : *Decimam partem ex omnibus frugibus tuis, seu primitiis, deferas in domum Domini Dei tui.* Rursum per prophetam : *Afferte, inquit, omnem decimam in horreum meum, ut sit cibus in domo mea, & probate me super hoc. Si non aperuero vobis cataraclas cæli, & effudero benedictionem usque ad abundantiam : & increpabo pro vobis qui comedit & corrumpit fructum terræ vestræ, & non erit ultra in ea sterilis.* Vnde & cum obtestatione præcipimus vt omnes studeant de omnibus quæ possident dare decimas, quia speciale Domini Dei est, & de nouem partibus sibi viuant, & elemosynas tribuant. Veritatem autem facientes, in caritate maneamus in illo qui est Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA SYNODALIS  
ODONIS ARCHIEPISCOPI  
CANTVARIENSIS.

*Ad episcopos sibi suffraganeos.*

**M**IRABILI cunctipotentis polorum præfulis clementia opitulante, ego Odo ecclesiæ Saluatoris Domini nostri Iesu Christi archiepiscopus, Dorobernensis ciuitatis metropolitanus, coepiscopis fidei catholicæ compaginatoribus, spiritali caritate, etiam comitatus rigore, meis confratribus, præsentium prosperitatem atherique decoris beatitudinem. Si aliquo modo fieri possæt, vt totius mundi opes ante nostros ponerentur obtutus, ita vt imperiali munere nobis vniuersaliter deseruirent, libenter

illa omnia distribuerem, meque ipsum insuper pro vestrarum animarum salute impenderem. Quippe quoniam me ipsum a vestræ sanctitatis studio cupio & spero corroborari super eo, in quo Dominus Deus nos operarios constituit. Et multa, quibus onus pontificatus exponit, subdidit: Idcirco humiliter, quasi indignus, sed deuotus, precor & hortor sanctitatem vestram, ne tepide & negligenter in regimine animarum conuerseremini, vt non in tempore tremendæ vindictæ conqueratur de vobis Dominus, dicens: *Pastores non pascabant gregem meum, sed semetipsos.* Et iterum: *Principes extiterunt, & ego ignoravi.* Sed potius curemus familiæ Domini, super qua nos constituit rectores, cibum dare in tempore suo, mensuram tritici, probatam scilicet doctrinam. Et quamuis meritorum qualitate non præsumam consolari & hortari quemquam, quippe qui solus indignus, & innumerabilium culparum reus, gaudeo & indigeo fraternis admonitionibus fideliter corroborari, tamen propter antiquam auctoritatem prædecessorum meorum, beatæ scilicet memoriæ Augustini, & aliorum sanctorum, quorum studiis regula Christianitatis; primum de hac archiepiscopali sede cunctis finibus Anglorum innotuit; idcirco istos diuinos apices ad utilitatem omnium vestrum caraxare decreui, quatenus rex augustissimus egregio vocabulo Edmundus cum omni populo suo imitari gaudeat, quod in nobis & ex nobis audiatur, omnesque gentes, quæ vndique regali imperio ipsius subiectæ sunt, titulos liquidæ nostræ conuersationis ouanter sequi ament & delectent.

CIRCA  
ANNVM  
CHRISTI  
944.

LEGES ECCLESIASTICÆ

EDMVNDI REGIS ANGLIÆ A SÆCVLARIBVS

SVIS SEGREGATÆ.

TITVLI CAPITVLORVM PARTIS I.

- |   |  |
|---|--|
| I. De vita castitate eorum qui sacris initiantur.             | IV. De eo qui monialem stupravit, & de adulterio.              |
| II. De decimis & censu ecclesiastico, siue primitiis seminum. | V. De fani instauratione.                                      |
| III. De homicidio.  | VI. De peierantibus, & iis qui barbara factitarunt sacrificia. |

H iij



*Pars II. huc nihil exhibet.*

TITVLI CAPITVLORVM PARTIS III.

- |   |  |
|---|--|
| I. <i>De homicidio.</i>   | IV. <i>De sanguine effuso.</i>   |
| II. <i>De eo qui alium oppugnarit in<br/>ade sacra, aut oppido regio.</i> | V. <i>Gratias agit, quod eum in pro-<br/>figandis furibus adiuerint.</i> |
| III. <i>De pugna &amp; homicidii multæis.</i>                             |  |

PARS PRIMA.

PROOEMIUM.

**E**DMUNDVS rex ipso solenni paschatis festo frequen-  
tem Londini tam ecclesiasticorum quam laicorum  
Coetum celebrauit, cui interfuerunt Oda, & Vvulstanus  
archipræful, plurimique alii episcopi, vt animorum suo-  
rum, & eorum omnium qui eis curæ sunt, consuleretur  
saluti.

CAPITVLA.

I.

Imprimis qui sacris sunt initiati, atque ex quibus popu-  
lus Dei virtutis exemplum petere debet ad imitandum,  
caste ( vt eorum feret ordinis ratio ) siue viri, siue mulieres  
fuerint, vitam traducunt: sin minus id fecerint, prout il-  
lorum se habent normæ, plectuntor, omni scilicet sua pos-  
sessione terrena multantor viui, & ( nisi mores in melius  
emendauerint ) mortui sacra prohibentor sepultura.

II.

Christianus quisque decimas feminum primitias, num-  
mumque eleemosynarium illum religiose pendito: qui  
non soluerit, anathema esto.

III.

Si quis hominis Christiani sanguinem effuderit, ad re-  
gium conspectum ( etsi ei seruerit ) non admittitor, ni prius  
id sceleris, iuxta ac fuerit ei ab episcopo imperatum, com-  
pensarit.

IV.

Si quis monialem stuprarit, aut instar homicidæ com-  
pensato, aut sacra sepultura prohibetor. Idem iuris esto, si  
quis adulterio commisso coniugium violarit.

V.

Episcopus omnis suis ipsius sumptibus domum Dei in-

staurato, regemque de reliquis sacris ædibus (id quod valde est necessarium) compositæ ornandis commo-  
neto.

## VI.

Qui peierarint, aut barbara factitarint sacrificia, diuinis omnibus (ni ocius resipuerint, animumque in melius emendarint) perpetuum arcentor.

## P A R S T E R T I A.

## P R O O E M I V M.

**E**go Edmundus rex omnibus qui in ditione ac potestate mea sunt, senibus ac iuuenibus, clare significo, me a scientissimis regni mei in celebri tam ecclesiasticorum quam laicorum frequentia studiose requisuisse quo tandem pacto Christiana proueretur fides. Atque nobis omnibus commodissimum visum est, ut amorem ac mutuam inter omnes benevolentiam per omnem ditionem nostram foueamus. Etenim nos omnes harum tædet quotidianarum pugnarum, & propterea ad hunc modum statuimus:

## C A P I T V L A.

## I.

Si quis alium posthac interfecerit, solus cum interfecti cognatis inimicitias capitales suscipito, ni integram capitæ eius æstimationem (cuiuscumque is fuerit conditionis) amicorum ope fretus intra duodecim menses persoluerit. Sin eum cognati eius pro derelicto habuerint, neque vero quidquam pendere voluerint, ipse inimicitias subito solus, ac illi pro inimicis non habentor. Ei tamen interim cognati eius victum ne suppeditanto, neve cum eo pacem habento: id quod si quis eorum fecerit, fortunis suis omnibus regi mulctator, & qui prius cognatum suum pro derelicto habuit, is iam cognatis interfecti pro inimico habetor. Atqui si alium quemcumque præter interfectorem ipsum cognatorum quisquam ultus persecutusque fuerit, is fortunis suis omnibus mulctatus, regi, & omnibus amore eum prosequentibus, pro inimico putandus est.

## II.

Si quis ad templum opidumve regium confugerit, eumque alius oppugnarit, damnove affecerit, is, prout antea effati sumus, tenetor.

## III.

Nulla pugnae aut homicidii nomine irrogata remittitor multa.

## IV.

Clare autem significo, non fore ei qui sanguinem humanum effuderit suffugio domum meam, ni prius Deo ac cæsi cognatis cumulate satisfecerit, & præterea impleuerit quodcumque ei fuerit ab episcopo, in cuius id diocæsi acciderit, imperatum.

## V.

Maximas autem Deo & vobis omnibus ago gratias, qui me auxilio vestro in hac pacis, quam nunc ad profligandos fures sanciuimus, lege adiuuistis, ac vehementer confido, eo vos propensius nobis in posterum opitulatos, quo huius decreti obseruatio magis videbitur necessaria.

Hæc addita  
sunt ex alio  
manuscri-  
pto.

*Quomodo desponsanda virgo, & quibus ritibus  
procedendum sit.*

## I.

Si quis virginem ducere aut feminam voluerit, ipsa & amicis suis consentientibus, debitum est, cum ex iure diuino, tum ex humana institutione, vt sponsus primo non solum fidem præbeat de prælocutis perimplendis, sed vna etiam cautionem se eam ita cupere, vt secundum legem Dei eam habeat vxorem, & hoc etiam vadiant amici eius.

## II.

Tum habenda victus ratio, & sciendum est quis eos sustinuerit. Stipuletur hoc sponsus ipse, idemque pariter amici eius.

## III.

Edicat iam tum sponsus, qua bonorum parte vxorem donat, præter hanc quam ex eius beneplacito ipsa prius cooptauerit.

## IV.

Sin & ipsa eum superuixerit (quod siquidem eueniat)  
tunc

Prisca do-  
tationis  
formula.

tunc iustum est vt ipsa habeat dimidiam partem omnium bonorum, & si prolem inter se susceperint, integritatem ipsam, donec transeat ad secundas nuptias.

## V.

Sponsiones autem vir quas iam pactus est cautione interposita illibatas semper custodito, & amici sui eas vadianto.

## VI.

Si de omnibus iam inter ipsos conuenit, spondeant consanguinei suam consanguineam vxorem ei qui illam petiit, vitæ etiam integram fore, satisfactionemque accipiant de celebrandis nuptiis.

## VII.

Si maritus eam postea de territorio Thani (*seu baronis*) quo iam nutrita est, eduxerit in alterius Thani territorium, cautione satisfactum sit amicis suis, quod exinde nemo ei inferet iniuriam. Et si ipsa contra mali quid patrauerit, prompti sint amici eius marito facere emendationem, si ipsa non habuerit vnde compensauerit.

## VIII.

Nuptiali huic dationi missalis aderit sacerdos: is de iure eorum coniunctionem Dei benedictione in omnem felicitatis plenitudinem promouebit.

## IX.

Caute etiam prouidendum est, vt intelligatur nullum inter eos esse consanguinitatis vinculum, ne iuste postea separentur qui iniuste primitus iungebantur.

## LEGVM ECCLESIASTICARVM

EDMVNDI REGIS PRISCA VERSIO.

## TITVLI CAPITVLORVM PARTIS I.

- |  |   |
|--|---|
| I. De castitate ordinatorum.             | IV. De fornicatione cum nunna, vel sanctimoniali, & de adulterio. |
| II. De decimis & aliis debitis ecclesie. | V. De apparatione ecclesiarum.                                    |
| III. De homicidio.                       | VI. De periurio & liblaco.  |

## P R O O E M I V M.

EDMVNDVS rex congregauit magnam Synodum Dei ordinis & sæculi apud London ciuitatem in sancto  
*Concil. Tom. 25.*

paschæ solenni, cui interfuit Odo & Vvulfstanus archiepiscopi, & alii plures episcopi, qui perquirentes de consilio animarum nostrarum, & eorum qui subditi sunt illis.

## CAPITVLA.

## I.

Inprimis est vt sanctis ordinibus euecti, qui plebem Dei docere debent lumen vitæ, castitatem teneant secundum ordinem suum, sit *vverbades*, sit *vvisbades*, sit alterum, sit alioquin, sint eius digni quod in Canone dictum est, hoc est, vt perdant sæcularem pecuniam, & sanctificatum \* *le-gerstovva*, id est positionis locum, si non conuertantur & emendentur. \* id est, sepulture loci.

## II.

Decima præcipimus omni Christiano super Christianitatem suam dare, & emendent: *cyrisceatum*, id est ecclesiæ censum, & *elmesfeob*, id est eleemosynæ pecuniam. Si quis hoc dare noluerit, excommunicatus sit.

## III.

Si quis sceleratis manibus effundat sanguinem Christianum, non appareat in conspectu regis priusquam emendationem ineat, sicut episcopus docebit, & pœnitentiam consulat.

## IV.

Qui cum nunna vel sanctimoniali fornicabitur, sanctificato atrio sit indignus, nisi emendet, sicut homicida, sic idem diximus de \* *evvice*, id est de adulterio vel infracto coniugio. \* l. covbrice.

## V.

Amplius dixi vt omnis episcopus reficiat Dei domus in suo proprio, & regem admoneat, vt omnes ecclesiæ Dei sint bene paratæ, sicut magnum nobis opus est.

## VI.

Qui falsum iurabunt, & liblacum facient, sint in æternum a Dei consortio segregati, nisi ad dignam satisfactionem per omnia reuertantur.

*Pars II. huc nihil confert.*

## TITVLI CAPITVLORVM PARTIS III.

I. De homicidio.

III. De fihtevita & manbota.

II. De assultu in itinere versus ecclesiam vel burgum regis.

IV. De fundentibus sanguinem humanum.

## P R O O E M I V M.

**E**go Edmundus rex mando & præcipio omni populo seniorum ac iuniorum qui in regione mea sunt ea quæ inuestigans inuestigavi cum sapientibus clericis & laicis.

## C A P I T V L A.

## I.

In primis quomodo possem Christianitatem magis erigere, & magnum nobis necesse visum est, vt amicitiam vestram & benevolentiam teneamus inter vos in toto regno meo, & mihi valde displicent, & vobis omnibus multiplices & iniustæ pugnæ quæ inter vos ipsos fiunt, vnde diximus: Si quis post hæc hominem occidat, ipse sibi portet inimicitia factionem, nisi amicorum suorum auxilio intra vnum persoluet eum plenum vveregildo, sit natus sicut sit. Si eum cognatio sua deserat, & pro eo gildare noluerit, tunc volo vt omnis tribus vel cognatio illa sit extra factionem, præter solum malefactorem, sed deinceps ei nec victum det nec pacem. Si quisquam cognationis suæ firmet eum postea, reus sit omnium quæ habebit erga regem, & portet fudam erga contribuales, quia primitus reproba- uerat eum. Si ex mortui cognatione quis vindictam perpetret in aliquem alium præter ipsum malefactorem, sit inimicus regis, & perdat totum quidquid habet.

## II.

Si quis ecclesiam requirat vel burgum meum, & ibi assiliatur vel affligatur, qui hoc fecerit, eiusdem culpabilis quod supradictum est.

## III.

Et nolo vt aliqua *shtev vita*, vel manbota, condonetur.

## IV.

Amplius indico quod qui sanguinem fundat humanum nolo focnam habere in familia mea, antequam diuinam emendationem suscepit, & ad omne rectum inclinetur, sicut episcopus docebit in cuius scyra fuerit. *Sequitur in Iornalensi libro hoc capitulum:*

*De sponsalibus contrahendis tempore regis Edmundi.*

Si quis virginem vel viduam ducere velit, & hoc illi placeat & amicis suis, tunc rectum est vt bridguinum per Dei iustitiam & sæculi ius competens, in primis promittat

*Concil. Tom. 25.*

I ij

& vadiet eis qui paranympfi sunt quod eo modo quærat eam, vt secundum Dei rectum pertinere velit, sicut sponsus debet legitimam sponsam, & plegient hoc amici sui. Postea sciendum est cui fosterleanum pertineat. Vadiet hoc bridguina, id est sponsus, quid ei dare disponat cur eius eligat voluntatem, & quid ei destinet, si superuixerit ipsum. Si sic quoque conueniat, rectum est vt dimidiam pecuniam habeat, & totam, si simul puerum habuerint, nisi deinceps virum capiat. Totum hoc vadio confirmetur, & amici sui plegient. Si tunc omni re concordent, adeat cognatio & despondeat eam *to wryte & to ryghtlyte*, id est in uxorem & rectam vitam, & excipiat inde plegium qui ius habet in vadio. Sed si de ipsa terra velit ipsam ducere in terram alterius taini, consilium est, vt amici habeant pactioem, ne quis ei faciat iniuriam. Et si illa forisfaciat, vt possint esse propinquiores emendationi, si non habeat vnde componat. Huic dationi debet interesse presbyter, qui cum Dei benedictione debet eorum consortium adiuuare in omnem sanctitatem. Bonum est prouidere ne ex aliqua consanguinitate sibi pertineant, ne iuste postmodum separantur qui sceleratis nuptiis consenserunt.

CONCILIVM TRENORCHIANVM  
ANNO CHRISTI DCCCCXLIV.

ANNO  
CHRISTI  
944

**A**CTOR est Petrus a sancto Juliano in originibus Trenorchianis, anno Christi DCCCCXLIV. Gisalberti ducis euocatione congregatam fuisse Synodum in eius loci monasterio, ad eamque conuenisse archiepiscopos duos, Guidonem Lugdunensem & Gofridum Vesontionensem; episcopos quinque, Gotescalcum Lausannensem, Rotmundum AEduensem, Hildebadum Cabilonensem, Maimbodum Matisconensem, & Alchierum Gratianopolitanum, cum abbatibus, clericis, & monachis permultis. Ab his autem vno consensu decretum, vt sacre monasterii reliquæ, quæ orto inter monachos discidio propter ducem, qui ineptum illis abbatem imponere nitebatur, ad sanctum Portianum apud Aruernos exportatæ fuerant ante triennium, missa legatione reposcerentur, solenni que pompa excepta in pristinis sedibus collocarentur. Re peracta, omnem protinus qua vexati fuerant calamitatem desisse.